

Caspar Mauritius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Casparus Mauritius, SS.
Theol. D. ... ad Exequias, Quas ... Dn. Georgio Behr, Sacr. Caesar. & Reg. Hung. &
Bohem. Maiestatis Duci Legionario, & praesidii Brigensis praefecto ...
haereditario in Nüstrow/ Newenhoff/ & Teuffelsdorff &c. Hodie parat Vidua ...
Omnes omnium Reip. literariae ordinum Cives ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1651


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745847188>


Druck Freier  Zugang




Mauritius, C.,
in G. Behr.

18.
Rost. 1651.







10
PROGRAMMA

Quo
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
CASPARUS MAURITIUS,

SS. Theol. D. ejusdemq, P. P. & Eccles.

ad Exequias,

Quas

*Viro Nobilissimo, Maxime Strenuo &
fortissimo*

DN, GEORGIO BEHR,

Sacr. Cæsar. & Reg. Hung. &

Bohem. Majestatis Duci Legionario,

& præsidii Brigensis præfecto, Capituli Sueri-
nensis Subseniori, hæreditario in Nüstrow/
Nerrenhoff/ & Teuffelsdorff &c.

Hodie parat Vidua nobilissima & mæstissima

OPERTES
Omnium Reip. literariæ ordinum Cives
manter & officiosè invitatur



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LI.



Ucundum simul & utile est considerare ceremonias, quibus usi in funeribus sunt prisci Christiani. Cum enim probè scirent, corpora sanctorum, quæ hic gratiæ divinæ organa, fuissent, olim gloriæ quoq; & decoris sempiterni futura, noluerunt committere, ut eandem cum bestiis sortem subirent, quarum cadavera in plateas vel alia loca ejiciuntur aliisq; bestiis dilaceranda & devoranda exponuntur. Quod gentiles olim Alexandriæ fecisse suorum cadaveribus peste extinctorum memorat Dionysius Alexandrinus apud Euseb. lib. VII. hist. Eccles. cap. XXII. postquam Christianorum usitatas ceremonias accuratè recensuissent. Verba sunt hæc: Sanctorum corpora manibus erectis supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lavare accuratè & linteo funebri involvere non gravati sunt. Apud ethnicos vero omnia contraria evenerunt. Etenim vix dum initia morbi (côtagiosi) habentes averfati sunt, fugerūtq; ab amicissimis, ac semimortuos in plateas ejecerunt & mortuos insepultos canibus dilacerandos exposuerunt &c. Notate hic ritus veteres, qui ante funeratio-

nem obtinebant; excepta sanctorum cadavera
 & gremio reposita, oculos, oraque obtu-
 rata, & sic compositis decenter membris gestata
 humeris cadavera, ornata, lota, quin uncta quo-
 que, demum linteo funebri in voluta, à nonnul-
 lis etiam coronata. De unctura res liquida est ex
 plurimis Tertulliani locis. Minutius Felix in O-
 ctavio inter crimina Christianis objecta: non flo-
 ribus caput necitatis, non corpus odoribus hone-
 statis: reservatis unguenta funeribus. Qui mos
 ungenti Judæis quoque; in usu fuit, sicut non tan-
 tum V. T. verum etiam Novi loca plurima evin-
 cunt, in quibus familiam ducit cap. XIX. Johannis
 Evangelistæ commemorantis Salvatoris nostri
 corpus aromatis delibutum *καθώς ἐθετοῖς τῆς Ἰουδαίας*
ἐντεφιάζειν. Coronam quoque; mortuis impositam,
 ostendit Clemens Alexandrinus, & addit *σύμβολον*
ἀοχλήτε ἀμεμνίας τὸν στέφανον, hoc est, notam fuisse &
 Symbolum victoriæ seculi & securitatis à turba,
 & negotio coronam fuisse. Quanquam qui è pri-
 scis rigidiores fuere, coronæ in mortuis usum,
 ceu ritum paganum, significantem *συμπόσια,* ad quæ
 defunctus proficisceretur (quæ celebrasse un-
 guentis delibutos & coronatos nemo nescit) pe-
 nitus tollere studuerunt. Cæterum inter sepulturæ
 honores, quibus Christiani mortuos affecerunt,
 hic eminet, ut planctu & honesta ad sepulchrum
 deductione suos prosequerentur. Quod fiebat,

postquam ad exequias convenissent domi fune-
stæ, (quam Salomon Eccles. VII. 2. vocat domum
luctus, in quam ire melius esse dicit, quam in do-
mum convivii,) idq; lugubri habitu. Ebræi olim
tiam deponabant, caput retegebant, pulvere
inspergebant, calceos ponebant, mystacem ob-
velabant, quod ex Ezech. XXIV. 17. est manife-
stum, deniq; vestes lugubres & mortuales quan-
doq; in magno præsertim luctu, scindebant. A-
pud Romanos erant vestes lugubres atræ, quod
in fœminis postea mutatum, quæ vestibus
albis exilibus indutæ mœrentium speciem
præbebant, quæ sunt verba Herodiani in funere
Severi Imperatoris. Quanquam in locis aliquot
Christianis mulieribus virginibusq; in funera,
prodire permissum olim non fuerit, prout ex
scriptis Patrum apparet. Viri ergo corpora de-
functorum ad locum sepulchri honestè deduce-
bant, elata humeris vivorum, qui vel ordinarij
erant lecticarii, vel etiam honoratiores personæ,
Episcopi, sacerdotes, quorum manibus ad tem-
pla deportata piorum cadavera legimus. Sed &
jam tum non viri solum in Magnatum exequiis,
ivisse, verum etiam equos (quos præterea tonde-
bant olim Græci & Persæ) auctor est Chryosto-
mus homil. III. ad populum Antiochenum: Di-
vite aliquo mortuo non servos solos, sed & equos
necessarij sacco amicientes & agasonibus traden-

tes, ad sepulturam sequi jubent, calamitatis magnitudinem ostentantes & omnes ad misericordiam allicientes. Dignum est, quod notetur, Veteres Christianos cum facibus & psalmis mortuos extulisse. De facibus & lampadibus testatur Chrysostomus Homil. 4. ad Hebr. & addit ideo accendi & funeri præportari, ut significant, deduci defunctos tanquam Athletas quosdam, qui devicto seculo ad supremum *βελωνίαν* ac designatorem pergant, coronas ac præmia accepturi strenuè pugnataram pugnarum, sicut ex Rittershusio notavit Vir excellentissimus & laudatissimus Joh. Kichmannus de funer. Rom. lib. 2. cap 3. ubi cereos funebres in exsequiis Justiniani Imperat. prælatos docet, allegatis versibus Corippi lib. 3. *Nec pura moratus*

*Augustus, nutu tolli sublime feretrum,
Imperat, & tota populus processit ab aula:
Mæstæq; funereas accendunt agmina ceras.*

Idem Corippus de Psalmis hæc subjicit:

*Omnis in exequias sexus convenit & ætas,
Quis memorare potest tanta miracula pompe?
Hinc Levitarum venerabilis ordo canentium,
Virgineus tonat inde chorus: vox æthera pulsat.*

Huic fini inserviebant *αὐληταὶ* apud Judæos, quem illi morem perperam à profanis gentibus hauserant, quæ suos habebant siticines sic dictos, quod apud Siro, hoc est, viva functos & sepultos canere soliti essent, & præficas, quæ sic assuefecerant

oculos suos, ut ad laudes & fortia facta defuncti,
quæ prædicabant ipsæ, lamentationem mirè
temperarent, & identidem in ululatus incondi-
tos effunderentur. Qui sicut à moribus Christia-
norum alieni sunt, ita vitam & mores defuncti
prædicare à se alienum minimè censuerunt,
quod ab ultima sanctorum Patrum vetustate re-
peti hunc morem posse viderent. Davidem legi-
mus deplorasse Saulis & Jonathanis mortem, car-
mine quo simul eos commendat à rebus fortiter
gestis, à constanti amore & fide, à defensione sub-
ditorum omni bonorum genere affluentium II.
Sani, I, Et de Abnero cap. III. 33. Lamentatus Rex
Abnerum dixit: ergone ut moritur stultus, mor-
tuus fuerit Abner? Manus tuæ non fuissent liga-
tæ, & pedes tui æreis compedibus non fuissent
admoti, ut cadit quis ante iniquissimos, cecidisti
&c Sic elati cum facibus, Psalmis, planctu, præco-
nio, in cœmiteriis sive dormitoriis sepeliebantur,
quæ primitus extra urbes erant, sed postquam
persecutionum procellis sedatis & pace Religio-
ni nostræ data in urbibus templa atq; oratoria su-
per sepulchris piorum extrui cœperunt, non tan-
tum cœmiteria in urbibus templis vicina consti-
tuta, verum etiam in ipsis templis, eorumq; pe-
netralibus sepulta Christianorum cadavera sunt,
exemplis Constantini M. & Honorii Imp. Non est
hic prætereundum, Christianos priscos variis flo-
ribus

ribus mortuorum tumulos sparsisse. Id discimus ex Hieronymo, cujus verba ad Pammachium hæc sunt: Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rofas, lilia, purpureosq; flores & dolorem pectoris his officiis consolantur. Prudentius hunc morem tangit in Exequiis defunctorum.

*Nos tecta forebimus ossa
Violis & fronde sequenti
Titulumq; & frigida saxa
Liquido spargemus odore.*

Erat enim & hoc in more positum nonnullis Christianis, ut ad sepulchra ad ebrietatem usq; epularentur. In quos invehitur Augustinus sermone de diversis XLIII, de Luxuria & Avaritia cap. VI. Tu demis, inquit, & subtrahis gutturi tuo: ille forte cum mortuus fueris, calicem super te non ponet: aut si forte ponet calicem, ipse inebriabitur, ad te nulla stilla descendet. Et de moribus Eccles. Cathol. cap. XXXIV. Nolite consecrari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores, novi multos, qui cum luxuriosissimè super mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos seipfos sepeliunt. Unum addemus de sepulchris & cenotaphiis, & sic finiemus. De quibus Prudentius:

*Quidnam sibi saxa cavata
Quid pulchra volunt monumenta?*

*Res quod nisi creditur illis
Non morosa sed data somno.*

Memorable est monumentum quod super sepulchrum patris sui & fratrum suorum Simeon Maccabeus extruxit, descriptum I. Maccab. XIII. 27. seqq. Nimirum extulit illud speciosum lapide polito ante & retro, statuitq; super ea septem pyramidas, unam ex aduerso alterius, patri & matri fratribusq; quatuor. Et iis adiecit machinas, circumponens columnas magnas, quibus columnis imposuit omnem armaturam ad nomen æternum, & ad omnia armorum genera naves insculptas, ut spectarentur ab omnibus navigantibus mari. Hæc autor libri primi Maccabeorum. Quod naves insculpsit armis, haud obscurè significare vitæ hujus fugacitatem voluit, de qua autor libri sapientiæ Cap. V. 8. Præterierunt illa omnia (diuiditiæ aliaq; fortunæ missilia) tanquam umbra & tanquam nuncius prætercurrens, tanquam navis permeans fluctuantem aquam, quæ quum transiit, non potest inveniri vestigium, neq; via meatus ejus in fluctibus, aut tanquam aue volante per aerem nullum invenitur indicium meatus, sed turbans ictu verberatū leuem aera & scissum vi stridente motis alis permeat, posteaq; non invenitur signum progressus in eo, aut tanquam sagitta in scopum missa sectus aer statim in se ipsum resolvitur, adeò ut ignoretur transitus illius

Ita

Ita etiam nos nati defecimus &c. Hanc vitæ præsentis fugacitatem expertus, cui nunc exequiæ parantur, Vir Nobilissimus & Maximè strenuus *Dn. Georgius Behr* / Sac. Cæs. ut & Reg. Hung. & Bohem. Majestatis Dux legionarius & præsidij Brigenfis præfectus, Capituli Swerrensis Subsenior, in *Nüstrow* / *Newenhoffe* & *Zeuffelsdorff* &c. morte beata cum æternis gaudiis caduca vitæ præsentis commutavit. Natus est ex nobilissimis & antequadringentos ipsos annos & quod excurrit, celebratissimis familiis Behriorum & Beloviorum, quarum virtus tantopere enituit, ut ob præclarissima merita Behrianae familiæ insignialgentilitia torque à Sac. Cæs. Majest. exornata fuerint.

Pater ei fuit Nobiliss. & strenuus Vir *Dn. Caspar Behr* / Illust. Pomeraniæ Ducis Capitaneus Grimmensis & Tribesensens, in *Nüstrow* / *Newenhoffe* & *Zeuffelsdorff* &c. Vir magnatum flagranti gratia florentissimus.

Avum paternum habuit Virum Nobilissimum & strenuum *Dn. Adamum Behr* / Illustrissimi Pomeraniæ Ducis Consiliarium Provinciale in *Nüstrow* / *Semlow* / *Zeuffelsdorff* / *Lobnis* & *Newenhoffe* / Virum à pietate & gravitate commendatissimū. Aviam vero paternam sortitus est Nobilissimam & ornatissimam fæminam *Ilsebe Krafewigen* de domo *Divitz*, matronam pientissimam benignissimamq̃.

Proavus paternus ei fuit Nobiliss. & strenuus *Dn. Hein Behr* / in *Nüstrow* / *Semlow* / *Zeuffelsdorff* & *Lobnis* &c. hæreditarius: proaviam paternam Nobilissimam & optimam fœminam *Dorotheam Hanen* / de domo *Wasedow*.

Abavus paternus fuit Nobilissimus & strenuus *Caspar Krafewig* / Illust. Pomeraniæ ducis Provincialis Consiliarius, de domo *Divitz*: cujus uxor fuit Nobilissima fœmina, *Anna Wredow* / è domo *Neinsberg*.

B

Mater

Mater nostro piè defuncto fuit Nobilissima & virtutum omnium decore conspicua foemina, *Catharina Below* è domo *Rargow*, matrona pietatis & beneficentiæ laude multis etiamnum viventibus spectatissima

Avus maternus Nobilissimus & strenuus *Georgius Below* / Illustrissimi Ducis Megapolitani Consiliarius Provincialis in *Rargow* / & c. hæreditarius: A via vero materna Nobilissima foemina, *Catharina Welzin* è domo *Weisin*.

Proavus ei maternus fuit Nobilissimus & strenuus *Nicolaus Below* / in *Rargow* / hereditarius: cujus uxor fuit Nobilissima foemina, *Catharina von Golitzen*.

Abavus maternus fuit Nobilissimus & strenuus *Balthar Welzin* / in *Weisin* & c. hæreditarius: cujus uxor erat Nobilissima foemina *Adelheit von Woken zu Teskow*.

Ex hac splendida & nobilissima profapia ortus est piè defunctus noster una cum tribus fratribus pridem defunctis, *Joachimo*, Invictissimi Imperatoris *Rudolphi II.* gloriosissimæ memoriæ Principis *Dapifero*, qui Anno hujus seculi *X.* *Pragæ* mortem cum vita commutavit, ibidem perhonorificè sepultus; *Adamo* & *Davide Behriis*; ut & octo sororibus *Clara*, *Ilsebe*, *Catharina*, *Dorothea*, *Anna*, *Eva*, *Margareta* & *Hedewig* / ex quibus duæ superstites, nempe Nobilissima foemina *Anna*, Viri Nobilissimi & strenui *Dn. Ludovici von Kemmin* / auff *Müggenburg* / hæreditarii p. m. Vidua relicta, & Nobiliss. femina, *Margareta*, Viri Nobilissimi & strenui *Johannis Siebthen* in *Hinrichshoffe* & c. conjugæ: Natus est piè defunctus noster in *Müströw* Anno superioris seculi *XCI.* in ipsis *Pentecostes feriis*, & quia juxta nobiscum omnibus originaria labe infectus nascebatur, per baptismi lavacrum regentus, atq; à peccati sordibus purgatus & ablutus est. Aucta ætate, cum ad tractanda literarum studia aptus esse deprehenderetur, privatorum præceptorum fidei commissus


fus est, donec ab Illustrissimi Pomeraniæ ducis, Dn. *Bugslai*, hujus nominis decimi tertii Illustrissimo filio, Dn. *Ulrico* in cœtum nobilium puerorum adscriberetur, & unâ cum ejus Celsitudine cum in Pomerania, tum & in inclita hac nostrâ Univerſitate, cujus Rector magnificentissimus tum temporis fuit Illustriss. Dux *Ulricus*, uberiora caperet studiorum incrementa. Procedente ætate in aulis magnatum suam fortunam fabricari studuit. Vixit enim in aula Serenissimi Principis ac Domini, Domini *Augusti* Ducis Brunſvicensis & Luneburgensis, ut & in aula Invictissimi Imperatoris, Dn. *Rudolphi II.* excellentissimæ memoriæ, unde in Galliam profectus Parisiis subsistit, quo linguam excoleret Gallicam & in equestribus exercitiis proficeret, demum Angliam & in ea Londinum, Hollandiam & in hac Hagam Comitum visitavit, ibiq; ad biennium est commoratus; Reversus in patriam concessit in aulam Wolgastensem & hac relicta in aulam Illustriss. & Reverendiss. Archiepiscopi Bremensis Dn. *Johannis Friderici*, Hæredis Norwegiæ, Ducis Slesvicensis, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitum in Oldenburg & Delmenhorst. Hic de sententia Parentum animi ad matrimonium adjecit, thoriq; sociam elegit Virginem splendore generis & morum nobilissimam, *Hea demig von Heimbruch* Viri Nobilissimi, & strenui Dn. *Georgii von Heimbruch* Sereniss. Ducis Brunſvic. & Lunæb. Consiliarij Provincialis, in Vahste & Rheten hæreditarii Filiam, nunc relictam moestissimam viduam, idq; consentientibus hujus agnatis. Factum id est anno hujus seculi vigesimo primo. Vixerunt postmodum in prædio *Zeuffelsdorff* in summa concordia & felicitate optata, quam tamen interrupit Cæsareanorum irruptio in Pomeraniâ Anno 1627. Quam utcunq; toleratam secuta alia est irruptio Svecorum Anno 1630. quæ p. defunctum intolerabili contributionum & direptionum onere divexarunt, sed loco tamen movere non potuerunt, donec Anno 1637. iteraretur irruptio Svecorum pariter & Cæsareano-


reanorum in Pomeraniam, quæ in tantas angustias redegerunt piè defunctum,
ut necessum habuerit Demianum sese una cum conjugè recipere. Quid
postea factum sit, nec pagina capit, & malimus ex concione funebri, quam ex
hoc Programmate peti. Illud tamen silentio prætereundum non est, adactum in-
juria temporum piè defunctum nostrum, legionis Dn. Comitis von Buchheimb
magistrum equitum factum, mox anno 1638. à Suecis captum, nec nisi exacto an-
no cum quadrante dimissum esse. Quæ calamitate superata in Holsatiam con-
cessit, ibi quietiores sedes reperturus, sed nulla in humanis firma & stabilis fe-
licitas est. Inde enim excussus nova Suecorum in Holsatiam irruptione Anno
1643. sub veteri Duce Illustri Dn. Comite à Buchheimb supremi legati, quem
legionis locum tenentem dicimus, munus subiit, in quo tanta versatus est dexte-
ritate, prudentia & fortitudine, ut legionem ei Cæsarea Majestas committeret,
præsidiòq; Brigenfi præfectum constitueret, quam provinciam magna cum lau-
de sustinuit. Interim redonata Germaniæ pacè munitus clementissimis literis
Sacra Cæsarea Majestatis, quæ nostrum piè defunctum singulari gratia semper
est complexa, in has rediit provincias sua repetiturus beatè defunctus noster, a-
ni elapsi mense Martio exeunte, & conjugi optatissimæ redonatus est sed mor-
bo in itinere contracto laborans. Qui cum quotidie vires sumeret, sentiens bea-
tè defunctus instare vitæ finem viatico corporis & sanguinis dominici instructus
tandem III. Octobr. Anni elapsi hic Rostochij in vera invocatione Domini &
Servatoris nostri animam Creatori suo reddidit. Hæc mors & avulsio optatiss-
simi mariti sine dubio in maximum luctum viduam coniecit, quæ tamen, sicut
Christianum pectus addebet, voluntatem suam divino arbitrio resignabit, & cog-
itabit, ea conditione nos à Deo accepisse vitam, ut omni momento reddamus
repositenti, cogitabit, ab iis malis omnibus liberatum, quæ validè exerceverunt.
vivum, cogitabit deniq; gloriosam resurrectionem & tempora restitutionis
omnium. Qui hic seminârunt cum lachrimis, illic cum jubilatione metent, ac
manipulos suos portabunt. A vobis autem, omnium ordinum Cives Academi-
ci studiosè contendimus, ut *ου μισέσθε* luctus hujus partem in vosmet transfe-
ratis, & quia hodie corpus terræ omnium nostrum matri est concrendendum,
funus hoc vestra præsentia cohonestetis atq; condecoretis, simul utramq; Rem-
publicam Deo custodi Rerūpublicarum unico ex animo commendetis, &
horæ decretoriæ semper memores vivatis. Qui quotidie moritur, is morietur
nunquam. P. P. Rostochij sub sigillo Rectoratus nostri die V. Mart.


Anno 1651.

Conventus fiet in aede Mariana ad medium hora tertia.

•••(o)•••







fus est, donec ab Illustrissimi Pomeranus nominis decimi tertii Illustrissimum nobilium puerorum adscribere tudine cum in Pomerania, tum & in sitate, cujus Rector magnificentissimus Illustriss. Dux *Ulricus*, uberiora capere Procedente ætate in aulis magnaturari studuit. Vixit enim in aula Serenissimi, Domini *Augusti* Ducis Brunsvici, & in aula Invictissimi Imperatoris, tissimæ memoriæ, unde in Gallia stitit, quo linguam excoleret Gallicitatis proficeret, demum Angliam & diam & in hac Hagam Comitum visitatus commoratus; Reversus in patriam costensem & hac relicta in aulam Illustrissimi Archiepiscopi Bremensis Dni. *Johannis* giæ, Ducis Slesvicensis, Holsatiæ, & Comitum in Oldenburg & Delmenhorstentum animum ad matrimonium accipit Virginem splendore generis & nomine *demig von Heimbruch* / Viri Nobilissimi *von Heimbruch* Serenissimi Ducis Brunsvici Provincialis, in Vahste & Rheten relictam moestissimam viduam, id agnatis. Factum id est anno hujus seculi exerunt postmodum in prædio *Leuffedia* & felicitate optata, quam tamen irruptio in Pomeraniam Anno 1627 secuta alia est irruptio Svecorum functum intolerabili contributione divexarunt, sed loco tamen moverunt Anno 1637, iteraretur irruptio Svecorum

Dn. *Bugilai*, hujusmodi, *Ulrico* in coetum ejus Celsissimum nostrum Universitatis temporis fuit Illustrissimum incrementa, unam fabricam in ipis ac Domini *Burgensis*, ut in illi excellens in Parisiis subestribus exercitum, Hollandiæ biennium est inulam Wolgaverendiss. Archiepiscopi Norwegiæ, Dithmarsici, sententia Parentum sociam electissimam, *Heo* cui Dni. *Georgii* æb. Consilia Filiam, nunc in entibus hujus primo. Vixit in concordiæ cesareanorum cumq; tolerans. quæ p. deionum onere erunt, donec iter & Casareano-

